



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

216. An, & qualiter postulatus consensus suum postulationi suæ debeat, aut possit præstare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Quaestio 216. An, & qualiter postulator consensus suum postulationi sua debeat, aut possit prestare?

1. **R**espondeo primò: non tenetur consentire. Pass. cit. num. 12. juxta expressum textum *c. cupientes, §. denique, de elect. in 6. ubi: nec suis postulationibus prestare consensus &c. teneantur*: cum enim per postulationem postulator non queratur jus, non est, unde necessitetur ad consentiendum, ne jus amitrat, cujus contrarium est in electione: Et cum postulantes ipsi non consentiant in postulatam absolute, cum id facere nequeant, quia postulator, utpote impeditus, sine dispensatione esse non potest sponfus Ecclesiae illius; neque ex hoc est, cur postulator praebere teneatur consensus suum absolute, atque ita non tenetur consentire. Pass. *ibidem* cum cit. Gl. & Gemin. *ibidem* num. 2. Tamen autem postulator intra mensem nec consentiendo, nec dissentiendo non incurrat poenam latam in *c. quam sit, de elect.* quae est privatio juris acquisiti in electione; cum jus nullum ex postulatione acquirat; potest tamen superior ex hac ejus negligentia accipere morivum, ut neget gratiam, & postulationem non admittat; quia ex ea negligentia praesumitur dissentire, & amisisse etiam illud tale quale jus aequitatis, quia aequum & honestum est postulationem legitime factam admittere. Pass. *l. c. n. 15.*

2. Respondeo secundò: potest tamen, si vult, consentire, non quidem consensu absoluto; cum non possit esse sponfus illius Ecclesiae, ad quam postulator, sine dispensatione (& de hoc consensu intelligendus est loqui Abb. dum *in c. fin. b. t. n. 11.* negat postulatam posse consentire: Item *Lott. l. 3. q. 17. num. 229.* ubi ait: *reciprocatio consensu, qua datur inter electum & Electores, non potest dari in actu postulationis, cum postulator in sit impedimentum, ne consensum valeat consentire; adeo ut intelligatur non habere liberum voluntum, praecipue, ubi postulator is, qui Ecclesia est alligatus*) sed sub conditione, seu quantum in se est; cum enim jam sit vocatus à Capitulo eum postulante, adeoque etiam praesumatur vocatus à DEO, hoc modo consentiendo, non erit ambitiosus. Pass. num. 13.

3. Respondeo tertio: potest etiam absolute dissentire postulationi de se factae, quidquid sit de eo, quod quandoque in foro conscientiae, propter speciales circumstantias hic & nunc teneatur non dissentire, vel etiam Papae praecipienti, ut admittat postulationem, sitque Praelatus, assentiri juxta *D. Thom. 2. 2. q. 182. a. 2.* Pass. num. 14. Porro intelligenda haec ipsa etiam de Episcopo ad aliam Ecclesiam postulato; nec recte dicitur de eo specialiter, quod nec consentire, nec dissentire possit. Pass. cit. num. 14. & apud eum Archid. & Gemin.

PARAGRAPHVS III.

De iis, qui postulare & postulari possunt.

Quaestio 217. Quinam postulare possint?

1. **R**espondeo: regula generalis est, ut omnes, qui eligere possunt, possint & postulare. *Pirh. ad tit. de postulat. nu. 17.* Pass. *de elect. c. 24. num. 7.* citans *Hofst. in sum. tit. de poss. n. 9.* Sylv. *v. postulatio. num. 4.* Barbof. *ad c. bona. 4. de postul. n. 5.*

Castell. de elect. c. 2. num. 2. &c. juxta *cit. c. bona. de c. innovat. de elect.* postulatio enim est accessoria ad electionem, tendens ad eundem finem cum electione, & in ejus supplementum inventa. *Pirh. loc. cit.* unde etiam conditiones necessariae ad hoc, ut quis legitime eligere possit; sunt quoque necessariae ad hoc, ut legitime postulare possit; & qui indignus ad eligendum, etiam indignus est ad postulandum. Pass. *loc. cit.* citans Bald.

2. Item compromissarius datus ad eligendum, intelligitur etiam datus ad postulandum. Pass. *loc. cit.* citans gl. in *c. in causis. v. postulatio. de elect. ex Bald. ibid. num. 5.* Tamen autem procurator datus ad eligendum possit quoque postulare; non tamen procurator datus ad prosequendam electionem potest prosequi postulationem; quia datus est ad petendam & urgendam justitiam, non vero gratiam, & nequit procurator extendere mandatum suum ad diversum genus causae. Pass. *loc. cit.*

3. Proinde etiam regulariter jus eligendi sine jure postulandi & iisdem modis, quibus obtinetur jus eligendi, obtinetur & jus postulandi. *Pirh. loc. cit.* & sic praescribens jus eligendi, praescribit etiam jus postulandi. *Pirh. Pass. l. cit.* citans Abb. in *c. bona. 4. de postul. num. 4.* Eris, qui per plures actus eligendi adeptus directe possessionem juris eligendi, indirecte seu ex consequente & ratione alterius, nempe juris eligendi, obtinuit quoque possessionem juris postulandi, & si actum nullum postulandi exercuit; eò quod hunc exercendi non fuerit occasio. *Pirh. cit. num. 17.* quamvis secus esset, si talis, v.g. qui non est de Capitulo, admittus ad actus eligendi, non ex mera gratia, sed tanquam cui jus competeret, tunc, quando erat occasio postulandi à postulatione exclusus fuisset: Quare etiam per accidens dari in eo jus eligendi sine jure postulandi, tradit *loc. cit. Pirh.*

4. Porro praescribitur jus postulandi non secus ac jus eligendi, nimirum tempore ordinario, scilicet 40. annorum cum titulo, saltem colorato, si ve si praescribatur contra Capitulum ab extraneo, qui non est de Capitulo (siquidem hujus juris possessio non acquiritur, nisi cum patientia, & scientia Capitularum, quae est loco tituli) & bona fide, nimirum, dum dictus extraneus credit ratione, v.g. dignitatis, quam habet, competere sibi hoc jus. *Laym. in cit. c. bona. 4. num. 2.* citans seipsum *Theol. moral. l. 3. tr. 1. c. 9. num. 5. & 6.* & Abb. in *cit. c. bona. num. 20.* *Pirh. loc. cit.* tamen forte, qui praescribit, uni tantum electioni tanquam jus habens intertuerit; quia electus praelatus 40. annis Ecclesiam rexit. *Laym. l. cit.* citans gl. in *c. 3. de caus. poss. & propriet. v. in trium*: De cetero sine titulo non praescribi, nisi tempore immemoriali, juxta *c. 1. de prescript. in 6.* eò quod in illo casu jus commune rehitat, & est praesumptio contra talem extraneum possidentem, tradit *Pirh. loc. cit.*

Quaestio 218. In genere, quinam postulari possint, vel non possint?

1. **R**espondeo primò: generatim loquendo, illi solum postulari possunt, qui ob impedimentum canonicum (intellige juxta mox dicenda dispensabile) eligi non possunt; siquidem ob carentiam talis impedimenti hoc ipso postulari non debent, nec possunt; cum postulatio in subsidium electionis introducta sit, frustra autem petatur, ut ex gratia & per dispensationem admittatur ad praelaturam,